



*Haec interpretātiō simplicior plāniorque ā mē  
reddita est atque idōnea lēctōribus quī Cap. X  
librī c.t. Familia Rōmāna iam perlēgērunt.*

### INTERPRETATIO III: DÉ VERSIPELLIBUS

Versipellis est homō in fōrmam lupī conversus. Suntne versipellēs fābulōsī fictīque? Immō, vērī sunt! Versipellēs etiam nunc in Scandināviā cēterisque terrīs habitant. Quid Plīnius, scrīptor Rōmānus, dē versipellibus putat? Putatne versipellēs esse vērōs? Plīnius eōs nōn esse vērōs putat sed fābulōsōs fictōsque.

In Scandināviā et cēteris terrīs, lupī nātūrālēs (id est quī versipellēs nōn sunt) multa animālia inhabitātōrum capiunt et dēvorant. Lupī autem nātūrālēs nōn tam saevī rapācēsque quam versipellēs sunt. Lupī enim nātūrālēs nōn tam multa animālia capiunt et dēvorant quam versipellēs.

In fēstō nātivitātis Chrīstī, magnus numerus versipellium convenit. Deinde, illī versipellēs saevī rapācēsque nōn solum bēstiās sed etiam hominēs magnā cum saevitiā rapācitateque petunt.



Lupī rapaces  
alias bestias  
capiunt  
eduntque.

versipellis = homo in  
formam lupi  
conversus/mutatus.

fabulosus, a, um = quod in  
fabulis est, saepe falsum  
est, neque verum

fictus, a, um = falsus  
neque verus

verus, a, um ⇔ falsus

inhabitor, -ris, m.

saevus, a, m = ferus,  
crudelis, violentusque

rapax, rapacis = rapax  
bestia est quae multa alia  
animalia capere et edere  
vult

Festus nativitatē Christi  
(Multis in terris festus  
nativitatē Christi die  
XXVo mensis Decembri  
(12/25) celebratur.)

Deinde = postea

Saevitia, ae, f. < saevus, a,  
um

Rapacitas, -atis, f. < rapax,  
rapacis



Quōmodo versipellēs domicilia inhabitātōrum hārum terrārum intrant? Ōstia eōrum domiciliōrum frangunt! Versipellēs rapācēs ōstia frangunt deinde domicilia intrant. Quid in domiciliīs faciunt? Primum, et hominēs et cētera animālia dēvorant! Deinde cellāria intrant. Quid in cellāriīs vident? Versipellēs multa vāsa in cellāriīs vident in quibus cervisia

inest. Quid versipellēs faciunt? Multum cervisiae ex vāsibus bibunt. Deinde vāsa vacua colligunt. Quid ē vāsīs vacuīs faciunt? Turriculam ē vāsīs vacuīs faciunt. Lupī autem nātūrālēs neque cervisiās bibunt neque turriculās ē vāsīs faciunt.

Versipellēs cervisiam bibunt, turriculam faciunt, deinde fessī sunt dormiuntque. Inhabitātōrēs locōs, ubi dormiunt, esse malōs putant.

In hīs terrīs castellum antīquum est. Ad mūrū huius castellī versipellēs conveniunt. Illic enim agilitātem suam probant. Quōmodo agilitātem suam probant? Trāns mūrū saliunt! Aliī trāns mūrū salīre nōn possunt, aliī nōn possunt. Quī trāns mūrū saliunt, agilitātem suam probant. Quī trāns mūrū salīre nōn possunt neque agilitātem suam probant, verberantur! Versipellēs quī verberantur ululant: uuhuuu!

1. Cuius animālis versipellēs fōrmam habet?
2. Ubi versipellēs habitant?
3. Putatne Plīnus versipellēs esse fictōs?
4. Suntne lupī nātūrālēs tam rapācēs quam versipellēs?
5. Petuntne versipellēs tantum bēstiās?
6. Quid versipellēs edunt?
7. Quid bibunt?
8. Quid in cellāriīs faciunt?
9. Quōmodo versipellēs sē agilēs esse probant?
10. Cūr versipellēs verberantur?

Quomodo? < quo modo?

domicilium, i, n.  
= ubi homines habitant;  
domus, villa

cellarium, i, n. =  
cubiculum plenum cibi

frangere (fractum) =



ostium fractum est

vas, vasis, n.




multa vasa

cervisia, ae, f.



colligere = in  
unum locum ponere

turris, turris f,  
turricula =  
parva turris



castellum, i, n. agilitas,  
-atis, f. < agilis, e

trans (praepositio + acc)

salire



Lupus salit.



*Haec interpretātiō simplicior plāniorque ā mē  
reddita est atque idōnea lēctōribus quī ~Cap.  
XXVI librī c.t. Familia Rōmāna iam  
perlēgērunt.*

## INTERPRETATIÓ II: DÉ SAEVITIÁ HOMINVM IN LVPÓS CONVERSÓRVVM

Quoniam dē dīversīs generibus lupōrum in capitulō quīntō decimō iam aliquid scrīpsimus, dignum mihi vidētur aliquid dē hominibus in lupōs conversīs in fine huius librī dīcere quōrum magnus numerus etiam nunc in terrīs septentriōnālibus vīvit. Plīnius autem iam nōbīs affirmat hoc genus lupōrum esse fābulōsum fictumque neque vērū.

In Prūssiā, Līvoniā, atque Lithuāniā, inhabitātōrēs multa animālia propter vērōs lupōs saevōs rapācēsque amittunt quia illī ferī animālia, quī ā gregibus suīs aberrāvērunt, dēvorant. Sī tamen inhabitātōrēs numerum animālium ā lupīs vērīs interfectōrum cum multitudine eōrum ā versipellibus dēvorātōrum comparant, propter versipellēs longē plūra amissa esse aestimant. In fēstō nātīvitātis Chrīstī, nocte et certō in locō, magnus numerus versipellium conveniunt. Tunc, nōn solum in hominēs sed etiam in aliās bēstiās magna cum saevitiā impetūs faciunt. Incolae multō quidem plūra animālia ā versipellibus interfecta esse quam ā lupīs vērīs putant.

quoniam = quia, quando

mihi videtur = puto

homo in lupum conversus  
= versipellis, is, m.

septentrionalis, e  
Norvegia Suetiaque terrae  
septentrionales sunt.  
Australia autem meridionalis  
est.

Plinius = Auctor Romanus  
clarissimus qui multa de  
historia naturali scripsit.

fabulosus, a, um = quod in  
fabulis legitur neque  
saepe verum est.

rapax, rapacis, adj = qui  
omnia rapere auferre  
cupit

amittere, amisse,  
amissum, ⇔ servare

interficio, interfecisse,  
interfectum = mortuum  
facere

aestimare, aestimavisse,  
aestimatum = putare,  
censere

impetus, us, m. =  
impetum in aliquem  
facere = aliquem violenter  
petere

incola, ae, m/f. = inhabitator,  
qui terram incolit



Nam ut omnibus nōtum est, versipellēs domicilia eōrum in silvīs habitantium saevē oppugnant ac iānuās eōrum vī impetūque frangunt atque hominēs et cētera animālia quae īsunt cōsūmunt. Deinde cellāria domiciliōrum intrant atque illīc et cervisiās et magna vāsa medōnis bibunt. Postquam multum cervisiae medōnisque bibērunt, vāsa vacua mediō in cellāriō colligunt et ex hīs turriculam faciunt. In hōc modō ā lupīs

vērīs differunt quod illī nec cervisiās bibunt nec turriculās ē vāsīs faciunt.



quiesco, quievisse, quietum = in otio/quieto esse, dormire

Versipellis quiescit.

Locum ubi versipellēs fortasse illā nocte quiēvērunt inhabitātōrēs esse infēlicem putant. Sī quid malī alicui miserō in illō locō accidit (velut raeda eius in fossā ēversa), eum ipsō annō moritūrum esse crēdunt.

notus, a, um = quod novimus

frango, fregisse, fractum = rumpere

conantur=temptant

cervesia, ae, f.



medo, medonis, f. = potus alcoholicus ex melle factus

vas, vasis, n.



vasa

colligo, collegisse, collectum = in unum locum ponere

turris, is, f. turricula = parva turris



infelix, infelicis = infortunatus, calamitosus, a, um

si quid = si aliquid

alicui (homini) misero

accidit=fit

raeda, ae, f.



fossa, ae, f.



Inter Lithuāniam, Samogethiam, et Curōniam est mūrus quīdam ex castellō ruīnosō reliquus. Ad hunc mūrum certō annī tempore millia versipellium conveniunt. Ibi quisque trāns mūrum salīre cōnātur quīa necesse est iīs agilitātem probāre. Quī autem trāns mūrum salīre nōn potuerunt neque sē esse agilēs dēmōnstrant, ā ducibus flagellis sevērissimē verberantur.



Dēnique, multī hominēs dīcunt inter multitudinem versipellium et nōbilēs prīncipēsque invenīrī posse! Quōmodo hominēs in lupōs convertī possint in sequentī capitulō docēbitur!

1. Quōmodo “hominēs in lupōs conversī” nōminantur?
2. Ubi illī adhūc vīvunt?
3. Putatne Plīnius versipellēs esse vērōs?
4. Putatne Ōlāus Magnus versipellēs esse vērōs?
5. Quī plūra animālia dēvorant, lupī vērī an versipellēs?
6. Quō diē/quandō magnus numerum versipellium conveniunt?
7. Faciuntne versipellēs impetūs in hominēs an solum in aliās bēstiās?
8. Quid versipellēs in cellāriīs inveniunt ac bibunt?
9. Quōmodo turriculās faciunt?
10. Quid dē locīs ubi versipellēs quiēscunt putātur?
11. Quōmodo versipellēs agilitātem suam probant?
12. Quid versipellibus miserīs accidit quī agilitātem suam probāre nōn possunt?
13. Possuntne nōbilēs prīncipēsque in lupōs convertī?

castellum, i, n.




salio, salire, saluisse



lupus agilis salit

probare = demonstrare

flagellum, i, n.



Solum = modo, tantum



*Hoc scripta ipsius Ōlāi Magnī lēctōribus  
praebet, annotātiōnibus marginālibus  
additīs, atque idōneum est iis quī librum c. t.  
Familia Rōmāna et subsidia huic accēdentia  
iam perlēgērunt.*

## INTERPRETATIO I: DE FEROCIA HOMINUM IN LUPIS CONVERSORUM

QUONIAM praesentī lib. cap. XV. de diversō lupōrum genere dictum est, pretium operae mē factūrum esse arbitrātus sum, sī in fine hujus lib. de animal., sylves. lupōrum genus ē hominibus conversum, quod Plīnius lib. VIII. cap. XXII. fabulōsum, ac salsum cōfidenter exīstimandum esse affirmat, tālēs in terrīs ad Septentriōnem maximē vergentibus, etiamnum magnā in cōpiā reperīrī, adiicerem.

In Prūssiā, Līvoniā, atque Lithuāniā, quamvis lupōrum rapācitatē per tōtum paene annum incolae haud exiguō cum damnō experiuntur, quia eōrum pecora ingentī multitudīne passim in sylvīs, dummodo exiguō intervāllō ā grege aberrant, dilaniantur, ac cōsumuntur: tamen hoc dispendium nōn adeō magnum ab illīs reputātur, quam quod ā hominibus in lupōs conversōs sustinēre cōguntur. In fēstō enim Nātivitātis CHRĪSTĪ sub noctem, statūtō in locō, quem inter sē dēterminātum habent, tanta lupōrum ē hominibus diversīs in locīs habitantibus conversōrum cōpia congregātur, quae postea eādem nocte mirā ferociā cum in genus hūmānum, tum in cētera animālia, quae feram nātūram nōn habent, saevit, ut majus dētrīmentum ab hīs, istius regiōnis inhabitātōrēs, quam umquam ā vēris & nātūrālibus lupīs accipiant.

lib. cap. XV = libro capitulo quinto decimo

pretium operae = digna res est, utile est

arbitrari, arbitratus sum = putare

lib. de animal. sylves. = libri de animalibus sylvestribus

lib. VIII. cap. XXII = libro octavo capitulo altero et vicesimo

salsus, a, um = facetus, a, um

vergens, ntis = situs, a, um

tales = homines in lupos conversi

etiamnum = adhuc

adiicio, adicere = addere

quamvis = quamquam

pene/paene = fere/ferme

passim = ubique et disperse

dummodo = si modo

intervallum, i, n. = spatium

dilaniare = in diversas partes divellere vel scindere

consumere = ēsse, edere

dispēdium = detrimentum, damnum, quod perditum est (conversis?)  
sustinere = pati

sub noctem = nocte

statutus, a, um = certus, firmus, fixus, a, um

mirus, a, um = mirabilis, e



Nam uti compertum habētur, aedificia hominum in sylvīs existentium, mīrā cum atrōcitatē oppugnant, ipsāsque forēs effringere cōnantur, quod tam hominēs, quam reliqua animantia ibīdem manentia cōsūmant. Cellāria cervisiārum ingrediuntur, ac illīc aliquot cervisiae, aut medōnis tonnās ēpōtant, ipsaque vāsa vacua in mediō cellārīi

ūnum super aliud ēlevandō collocant: in quō ā nātīvīs ac genuīnīs lupīs discrepant.



Locum vērō, ubi forsan illā nocte quiēvērunt, hārum terrārum incolae fātīdicum arbitrantur: quia sī alicui in eō quid adversī contigerit, velutī vehiculum obvertatur, atque ipse nivibus iniiciātur, plānē sibi persuāsum habent, eum istō annō morte moritūrum, quemadmodum id ā multīs temporibus per experientiam explōrārunt.

uti = ut, prout, sicut

compertum habere = aliquid novisse

effringere = vi et impetu frangere

animans = qui/quod vivit, animam ducit

aliquot = complures (nescio quot)

cervisia, ae, f. = potus alcoholicus factus ex variis frugibus, praecipue ex hordeo

medo, medonis, f. = potus alcoholicus factus ex melle

tonna, ae, f. = vas maximum, dolium

epotare = potum exhaustire, totum potum consumere

collocare = statuere, ponere

in quo = in vāsīs epotandis collocandisque.

discrepare = ab aliquo differre

fatidicus, a, um = qui/quod futura praedicit

adversus, a, um, = malus, a, um

alicui contingere = alicui accidere

veluti = sicut

sibi aliquid persuasum habere = aliquid credere

quemadmodum = ita ut

explorare = cognoscere, experiri, probare

Intrā Lithuāniam, Samogethiam, ac Curōniam est pariēs quīdam, ē quōdam castellō dīrutō reliquus, ad hunc certō annī tempore aliquot mīllia eōrum conveniunt, ac ūniuscujusque agilitātem in saltandō explōrant: quī hunc parietem trānsilīre nequiverint, uti pinguiōribus fere ēvenit, flagellis ab eōrum praefectīs caeduntur. Dēnique cōstanter asseritur, inter hanc multitudinem etiam istius terrae magnātēs, atque ē primā nōbilitāte virōs versārī: quī quōmodo ad eam vēsāniam, ac metamorphōsin longē terribilem, quam deinde statīs temporibus

negligere haud possunt, plērunque perveniant, sequentī cap. docēbitur.



versipellis, is, m. = homō in lupum conversus/cuius pellis in fōrmam lupī versa est

1. Quid Plīnius dē versipellis scripsit?
2. Num Ōlāus esse parvum numerum versipellium in terrīs septentriōnālībus arbitrātur?
3. Quī plūra animālia incolārum dēvorant, versipellēs an lupī genuīnī vērīque?
4. Adhibentne versipellēs saevitiam modo in aliās bēstiās?
5. Quid lupī ā hominibus conversī faciunt ut domicilia incolārum intrent?
6. Quī pōtūs versipellēs dēlectant?
7. Quid versipellēs neque lupī nātīvī vērīque in cellāria faciunt?
8. Quid incolae putant in locīs, ubi versipellēs quiēscant, accidere? Quārē illī locī fātīdicī īnfaustīque habentur?
9. Quōmodo versipellēs agilitātem suam explōrant probantque?
10. Sī quī eōrum sē esse sēgnēs neque agilēs dēmōnstrāvērunt, quid tunc iis accidit?
11. Num tantum pauperēs humilēsque inter versipellēs versantur?

diruere, diruisse, dirutum = delere, evertere

paries, parietis, m. = murus, i, m.

eorum = hominum in lupos conversorum

unusquisque = quisque

Transilire = trans + salire

pinguis, e = crassus, obesus, a, um

alicui evenire = alicui accidere

flagellum, i, m = instrumentum sive verber e multis partibus flexibilibus (loris) factum quo puniendi saeve verberantur

praefectus, i, m. = qui rem ducit

flagellis caedere, cecidi, caesum = severe aliquem flagellis verberare

asserere = aliquid tanquam verum affirmare

magnas, atis, m. = vir primarius, princeps

versari = alicubi esse

vesania, ae, f. = amentia, similiis insaniae est

status, a, um = fixus, certus, a, um

plerum(n)que = prope semper

cap. = capitulo